

3. *Henricus de Bunaw* (miles et orator Friderici Saxon. electoris).
 Quantum Germanis faveant pia numina coeli,
 Hac nunc in docta virgine nosse potes.
 Haec veteres sanctos vates veneranda recenset:
 Et plus quam Sappho carmina casta canit.
4. *Hololykos de Stein, alias Eytelwolf* (Eques Suevicus).
 Hac de Germana quid Graie, quid Itale sentis?
 Non minus ac vestrae verba latina canit.
5. *Bilibaldus Pirkhamer, Norimbergensis.*
 Εἰ Σάπφω δεκάτη Μουσάων ἐστὶν ἄδόντων,
 'Ρόσβιθ' ἑνδεκάτη Μοῦσα καταγράφεται.
 Traductio: Si Sappho decima est Musarum dulce canentum:
 Roswitha scribenda est undecima Aonidum.
6. *Joannes Tolophus, Praepositus.*
 Ut lyra Threiiicio concessit carmina vati,
 Quae micat arctoo fulgida stella polo:
 Haec eadem influxit Roswithae verba chelinque
 Nata ex Saxoniceis casta poëta plagis.
7. *Henricus Groninger* (Monacensis).
 Invide, divinos non cessas carpere vates,
 Tanquam mendaces vaniloquosque viros?
 Nonne vides, quantum haec monialis carmine possit,
 Historias sacras virgo diserta canens?
8. *Joannes Wernerus.* (Norimberg. Mathematicus).
 Roswitha Germanis nunc maxima gloria terris
 Carminibus Latios nectere docta modos:
 Nec minus et voces describit culta solutas,
 Libera Terentii comica facta sequens.
9. *Martinus Mellerstadt, alias Polichius, medicus.*
 Gloria quanta fuit magnis Ottonibus armis,
 Gloria tanta tibi Roswitha in historia.
10. *Conradus Celtis.*
 Si proba magniloquum cogens centone Maronem,
 Atque aluit, doctum quos tulerat Latium:
 Hanc nostram legerent Saxono sanguine cretam:
 Nostrae laudassent carmine vatis opus.